ILLVSTRISSIMO

D.D. Meo Colendissimo

D. HIERONYMO IAVARINA

Theobaldus Præuotius Fœlicitatem.

MEdicorum communis ea laus est, morbos humanis è corporibus vi medicamentorum expellere, eaq, ad integram membrorum omnium valetudinem reuocare. Ad hoc herbarum ex hortis campisq; plurima genera, lapidũ, gemmarumq; ramenta ex conditos quoq; intrà terræ viscera metallorum thesauros eisdem natura suppeditat. Tanta est enim cõ-

munis

munis huius parentis de tuendo in terris homine solertia, vt inspecta singulorũ, quæ humanæ valetudinis opitulantur virtutes, methaphoricum, seù vermiculato emblemate hominem possit construere. Verum hæc inter tanta humanæ imbecillitatis remedia, facilis, heu nimium, descensus Auerni. Sed reuocare gradum, superasquè euadere ad auras, Hoc opus, hic labor est. Rarus, quin potiùs nullus, qui Medicæ artis peritia instructus sit, potuit vnum aliquem, qui tumulum offenderit, & in rationem Libitinæ venerit, in vitæ huius vsuram restituere. Tù vero nunc Vir Illustrissi. huiusmodi portentum exhibes, Archiatriq; munere fungeris, qui sublatum è viuis iam Parẽtem meum, sed ab obliuiosa aliqui posteritate non obliteratum, verum hactenus viuacissime commemoratum, è busto ipso, atquè adeo è cineribus

eruit,

ernit, &, quod rari post cineres habent, hoc tristi cineri, atquè ossibus progenitoris mei solatium reportas, vt in hac eius medica elucubratione set vel post fata superstes. Multiplex enim esto sepulchri honor, quo prisci quoquè olim vtebantur, vt vel floribus aspergerent, quemadmodũ Octauianus Cæsar Magni Macedonis tumulum, vel thure, & mero parentarent, vt Romani, vel Imagines, & columnas erigerent, vt Lacedemones, vel vinum, & lac, epulumque funebre instruerent, vt Phryges, alijque alia huiusmodi, vnum Tù instar omnium, & pra omnibus præstitisti Parentis mei manibus, vt hæc eius post humaprales cum perennè, vt spero, fama in lucem ederetur. Quo in genere beneficij, & me non modo, ac progenitorem meum, verum & humanæ gentis vniuersitatem vnicè deuinxisti. Si enim, vt ca-

nit Hesiodus, Pandoræ pixidi Iuppiter iratus omne malorum genus inclusit, qua disclusa terrarum orbis morbis, calamitatibusque repletis est, Tu, cui Regni huius Veneti Secreta custodienda tradũtur, cum per te locus fuit ad typos accedere, visus es quoq; mihi arcana pandere, ac reserare, quibus in hac Medicamentorum Compositione, tamquam proposito panacea, sanandis morbis omnibus remedium opponeres. Quidni ergo iure optimo tibi hoc qualecumquè opus in lucem editum sisteretur, tuumque præclarum Nomen eidem tanquam grata, & salutaris nota, præfigeretur? Annuè igitur votis meis, quibus obsequentissimi, addictissimque animi ergo præsens volumen tibi nuncupo, vt per Te meliorem quoquè vitam, quam hausi, Parenti meo restitutam esse perpe-

tuò

tuò lætari, & cernere mihi liceat
Vale.

Patauij An. M. DC. LXVI.
Idibus Iulij.

Dominationis Tuę Illustriss.

Deuinctissimus

Idem qui supra.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-169863-p0011-5
DFG